

## CAPUT XVIII.

DE

OBLIGATIONE INTER  
DOMINUM, ET VASALLUM.

I.

*Obligatio  
inter domi-  
num & va-  
sallum.*

**E**X contractu feudali nascitur societas quædam, & reciproca obligatio inter dominum, & vasallum ad fidem, servitia, aliaque, quæ contractu feudali continentur. De fide feudistica sæpius jam actum est, *Cap. præsertim II. §. 13. & XIII. §. 1.* Quibus capitibus hæc fides absolvatur, Philibertus, seu Fulbertus, Episcopus Carnotensis (de Chartres) (qui obiit MXXVIII. III. Id. Apr.) in epistola ad Gvilielmum, Aquitaniæ Ducem, recenset, quam Gratianus *c. 18. c. 22. q. 5.* in Decretum, Compiler vero Juris Feudalis in libellum suum *II. Feud. 6.* retulit: quamvis Cujacius hoc titulo epistolam hanc a recentioribus libro huic *II.* cuius Obertum autorem facit, temere fuisse adjectam velit, ut dictum *Cap. I. §. 21. Cap. XIII. §. 2.* Dicit ibi Philibertus, vasallum, fidelitatem jurantem, hæc sex in memoria semper habere debere: *incolume, tutum, honestum, utile, facile, possibile*: quæ quid sibi velint, tum ipse, tum interpretes hoc titulo & *II. Feud. V. & VII.* fuse explicant. Ubi tamen non possum probare Cujacii sententiam, existimantis, ea, quæ de cura vitæ, corporis, mentis, & honoris domini habentur in forma fidelitatis, non ratione feudi, & sic non semper promitti, sed ratione jurisdictionis, quam dominus forte habet, vel ratione familiaritatis, & οἰκειότητις, ut si feudum in curte habeat. Nescio enim, unde hæc probari possit, Cujacii singularis

ris